

[Faint handwritten text on a small label in the top left corner, likely a library or collection mark.]



Sammelbd

Quint. 1. Teil

13 Alph. 13 beginn

Θ. Δ.

ΙΟΥΔΑΙΣ ΑΠΑΓΓΑΜΕΝΟΙΣ;
SIVE
DE

SUSPENDIO

IVDAE DIATRIBE
ACADEMICA,

Quam,
Suffragantibus Superioribus,

Sub
PRAESIDIO
M. GEORGII GOEZII,
Poët. Laur. Caes. Fac. Phil. Adj.

Publica Φιλολογίων ventilationi
subjecit

IOHANNES VVARNECCIUS,

Velthemiâ - Hornburgensis Saxo,
AUCTOR.

Ad diem 22. April. A. O. R. M. DC. LXI.

EDITIO SECUNDA.

JENAE,

Typis Johannis Jacobi Bauhöferi,
ANNO clō lōc lxxii,

SYSTEMA

DIATRIBES

ACUTUM

Suffraganeus superioribus

GEORGII CORNII

GEORGII CORNII

DE DE

1. Solenne





שׁוּב
Iudas ἀπαρχάμενος,
sive

DE SUSPENDIO IUDAE,

§. 1.



Ixi dici potest, quantoperè luxurient ingenia Eruditorum, quotiescunque incidunt in quaestiones eas, in quarum explicatione conjecturis locus est, & non nocet adstruere, quicquid vel probabilibus rationibus licuit superstruere. Fidem verbis facit cum aliis ferè innume-
ris illustris illa de obscurissimi capituli, JUDAE PRODITORIS, infelici FATO συζήτησις; quippe quae primi subsellii Commentatores in tot ac tanta sententiarum distraxit divortia, ut plerique hodiè de conciliatione omnino desperent, ac quaestionem habeant in numero illarum, de quibus praestat ἐπέχειν. Verum enim verò animus non erat protinus despondendus: res fidem non evertit, sed in puteis Philologorum demersa jacere videtur: eò igitur descendendum, indeque eruenda. Nos, divinà freti gratiâ, proposuimus nobismet arenam publicam ingredi, & in hac prae coeteris quaestione desudare: experiemur igitur, an quicquam valeant tenelli humeri. Tu modo, Benevole Lector, conatibus nostris fave, & si non ubique rem acu, quod in proverbio est, tangi videbis, illud juventuti nostrae, cui in tantis praecipitiis vel voluisse aliquid sat erat, condona.

§. 2. Solenne apud Ebraeos carmen habetur; *Prohibitum*

A 2

est;

est, Israëlitam in manus Ethnicorum prodere, vel quoad bona sua, vel quoad personam suam &c. Et quicumq; Israëlitam ita

(a) R. M. prodiderit, partem nullam habiturus est in futuro seculo. (a) Maimon. Parum abest, quin credam, id ipsum JUDÆ venisse in mentem posteaquam nefandum illud patrârat facinus, dum non nudum Israëlitam, sed Magistrum, sed innocentissimum, ita prodiderat, ut jam jam in manus Ethnicorum à Judæis esset tradendus. Hinc abiit ad Pontifices & Confistoriales Judæorum, visurus fortè, an Domino liberationem, aut minimum peccatorum sibi veniam impetrare posset. Verum cum nulla spes affulgeret, ipse mercedem iniquitatis abjecit ad pedes ipsorum, καὶ ἀπελθὼν ἀπήγγξατο, ut Matthæus; (b) vel, ut Lucas habet, (c) πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσθου, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ.

(b) cap. XXVII. vers. 5. §. 3. Certum est, Evangelistas verbis istis insinuare insolitum atque horrendum mortis genus, quò extinctus fuerit Sacrilegus; sed quodnam illud sit, Auctores magnoperè disceptant. Nos, ut rem eò commodiùs proponere valeamus, quinque præcipuas constituemus classes. Et primam quidem illis adsignabimus, qui Judam in prædio suo mortuum esse narrant. Refert sententiam illorum Oecumenius (d) his verbis: ἐπερῆσθη, inquit, ὅτι τοσῶτον τὴν σάρκα, ὥστε μηδὲ ὀπίθην ἀμαξία ῥαδίως διέρχεται, ἐκείνον δύνασθαι διελθεῖν, ἀλλὰ μηδὲ αὐτὸν μόνον τὸν τῆς κεφαλῆς ὄγκον. Τὰ μὲν γὰρ βλέφαρα τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ φασὶ τοσῶτον ἐξοιδίωσαι, ὥς αὐτὸν μὴ καθόλου τὸ φῶς μὴ βλέπειν. Τὰς ὀφθαλμοὺς δὲ αὐτοῦ μηδὲ ὑπὸ ἰατρικῆς διόπτης ὀφθῆναι δύνασθαι, τοσῶτον βάθος εἶχον ἀπὸ τῆς ἐξώθεν ὀπιφανείας. Τὸ δὲ αἰδοῖον αὐτοῦ, πάσις μὲν αἰχύνῃς ἀνδρόερον καὶ μείζον φαίνεσθαι. Φέρεσθαι δὲ αὐτῶν, τὰς ἐκ παντὸς τῆς σώματος συρρέοντας ἰχώρας τε καὶ σπώλικας εἰς ὑβριν δι' αὐτῶν μόνον τῶν ἀναγκαίων, μετὰ δὲ πολλὰς βασάνους καὶ τιμωρίας ἐν ἰδίῳ φασὶ χωρεῖν τελευτήσαντες, ἀπὸ τῆς ὀσμῆς ἐρημόν τε καὶ ἀοίκητον τὸ χωρίον μέχρι 18 ἡν γενέσθαι.

ἴα. ἀλλ' ἴδθ' μέλει τῆς σήμερον δύνασθαι τινα ἐκείνον τὸν τό-
 πον παρελθεῖν, εἰ μὴ τὰς ῥίνας ταῖς χερσὶν ἔπιφραξῆ. h. e. in-
 terprete Johanne Hentenio: Corpore adeò inflatus est, ut
 neq; posset progredi, quà currus levì cursu pertransibat, imò ne
 solum quidem capitis tumor. Si quidem & palpebras oculo-
 rum ejus adeò intumuisse ferunt, ut lumen omninò videre non
 posset; oculi verò illius neque διόπτρας (nempe instrumenti
 medicorum) adminiculo adparere possent, tantà profundi-
 tate ab exteriori aspectu erant separati: genitale verò il-
 lius membrum omnem excedebat obscenitatem ac magnitu-
 dinem. Porrò sanies ac vermes contumeliosè confluentes ex
 toto corpore ipsius ferebantur egredientes, per sola loca secre-
 tiora. Post multa verò tormenta & ultiones, cum in suo præ-
 dio, ut ajunt, mortuus esset, præ fatore prædium illud deser-
 tum permansit, & non habitatum, usq; ad hunc diem. Sed
 neq; ad hoc usq; tempus locum illum quisquam præterire
 potest, nisi obturatis manu naribus. Hæc ille de primâ sen-
 tentiâ.

§. 4. Verùm enim verò hæc sententia limatioribus se-
 nunquam satis probare potuit; his enim oppidò subo-
 luit, Auctores ejusdem deceptos fuisse perversâ vocis
 ἐκθήσατο versione. Cum enim in Actis (e) de Proditore (e) Cap. I.
 legatur: ἔκθησατο χωρίον ἐκ μισθῆ τῆς ἀδικίας; illi ver-
 terunt: & emit agrum de mercede iniquitatis; alii: & pos-
 sedit agrum ex mercede iniquitatis; indeq; finxerunt,
 Judam pro triginta argenteis emisse sibi prædium, post
 scelus commissum eò se contulisse, & hoc pessimo mor-
 bo ibidem interiisse. Sed si patuerit, vocabulum Grae-
 cum nec posse, nec debere sic verti, suâ sponte corruet le-
 pida fabella, quæ eidem superstructa fuit.

§. 5. Quamvis ergò illud negari non possit, ver-
 bum κλάσθ cam obtinere significationem, ut inter-
 dum

dum sit idem ac *possidere* vel *redimere*; hoc tamen
 exinde elici non potest, quòd praesenti in loco non
 alià ratione vertendum sit. Nam in lingvarum trans-
 lationibus, ubi vocabula occurrunt ambigua, ex cir-
 cumstantiis, & συναφεία textus, genuinus significatus est
 eruendus, & praefendus is, qui circumstantiis illis con-
 venientior. Iam quae harmonia historiae cum hâc ver-
 sione? Quomodo is agrum emere dici potest, quujus in
 manibus pretium non amplius est eò tempore, quò con-
 trahitur? Qui possidere dicitur, quine emptioni quidem
 supervixit? ἀποτα τὰ πάντα ἄδρα, ut prolixè ostendit
 Dan. Heinsius in h.l. (f) Liqueet igitur, quòd expositio ista,
 quam dicti autores suppeditant, subsistere non possit,
 stantibus aliis historiae circumstantiis, nec per conse-
 quens afferri debeat.

§. 6. Itaque longè rectius illi sentiunt, qui ἐκ τήσασθε
 reddunt, possidere fecit, vel, occasionem possessionis suppedita-
 vit; quod faciunt Barthius (g), Gerhardus (h), Glas-
 sius (i), & alii. Nam, Verba, quae actiones aut effectus
 denotant, de occasione illorum saepè sunt intelligenda, ut
 habet Canon hermenevticus, quem multis exemplis
 illustrat Glasius (k). Heinsius (l), ut hoc obiter di-
 camus, putat, Judam ideò dici possedissee χωρίον seu agel-
 lam, quia partem aliquam ex eò sepulcrum nactus fuerit;
 sed non probatur hoc Plur. Rever. atqve Excellentissimo
 Dn. Joh. Ernesto Gerharo, S.S. Theol. D. atqve Prof.
 Publ. Ordin. inclytæ hujus Salanae longè celebratissimo,
 Dn. Praeceptoris & Promotoris meo omni obsequio &
 cultu actatè prosequendo (m), idqve exinde, quia nec a-
 ger statim à Judae morte emptus, neqve mors Judae diu à
 prodicione dilata fuerit. Ludovicus de Dieu (ut & hoc
 adjiciamus) putat (n), Judam istis triginta argenteis voluis-
 se

(f) Exerc.
 Sacr ad
 Act. l v.
 18. p m.
 244.

(g) Lib.
 III. Adv
 c. 13. p m
 136.

(h) Har-
 mon. Ev-
 ang. c 109
 p. 1849.

(i) Gram.
 Sacr Lib
 III Tract
 III. Can-
 10 p m.
 255.

(k) d loc.
 (l) cit. l
 (m) in
 Notis ad
 Cap I.
 Act. p 29

(n) Anim
 advers.
 in h l p.
 11.

se eum ipsum agrum emere, eaque de re cum figulo vel alio hujus fundi domino transegisse; sed postmodum poenitentiam ductum pecuniam Sacerdotibus refudisse; tandem Sacerdotes arcanam Dei providentiam illum ipsum agrum iisdem argenteis emisse. Verum quae necessitas nos huc compellit? aut si omnino etiam hoc concederetur, quodnam exinde praesenti sententiae patrocinium?

§. 7. Hanc igitur sententiam relictam, ad secundam accedimus, quae Papias, illi Johannis Evangelistae discipulo, adscribitur, & ab Oecumenio (o) recitatur his verbis: (o) loco supra cit.

Ὁ Ἰούδας οὐκ ἀπέθανε τῇ ἀγχόνῃ, ἀλλ' ἐπέβη, κατενεχθεὶς πρὸς τὸ ἀποπνιγῆναι. καὶ τοῦτο δηλοῦσιν αἱ τῶν Ἀποστόλων πρῶται, ὅτι πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσσω. Τοῦτο δὲ σαφέστερον ἰστορεῖ Παπίας ὁ τῷ Ἰωάννῃ τοῦ Ἀποστόλου μαθητῆς λέγων, μέγα τῆς ἀσεβείας ὑπόδειγμα εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου παρέπατησεν Ἰούδας. Πρηνὴς γὰρ ὅτι πτωχὸν σάρκα, ὥστε μὴ δύνασθαι διαλεῖν, ἀμάξης ῥαδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἀμάξης ὀπίεσθαι, ὥστε τὰ ἔγκυα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι, h. e. interprete Hentenio: Judas suspendio est vita non discessit, sed supervixit: dejectus est enim priusquam praefocaretur: idque Apostolorum Acta indicant, quod pronus crepuit medius. Hoc autem planius scripsit Papias Johannis Apostoli discipulus, dicens: ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit (rectius: circumvagatus est) Judas. In tantum enim corpore inflatus, ut progredi non posset, cum currus levi cursu pertransiret, curru compressus est, ita, ut funderentur ejus intestina.

§. 8. Haec ille. Ad quae non immerito verba Causaboni (p) Exerc. (p) adscribimus: Non assentior viris doctis, qui dubitant, an haec sint vera: Ego non dubito, falsissima esse omnia. Nam si via (sic scripserat idem paulo ante) quae plaustrum capiebat, 16 ad Annal. Baron. sect. 69. p. m. 598. 599.

bat, solum Judam capere non poterat; quomodo & Judas &
 plaustrum in eadem sunt reperti? Alteri enim duntaxat lo-
 cus erat, vel Judae, vel plastro. Nec refert, quod dicitur ob-
 tritus. Nam semper manet difficultas, qui potuerint duo cor-
 pora, quorum utrumque viam totam occupare esset idoneum,
 concurrere in rectam quasi lineam. Unde autem manarit
 haec narratio, aut Fabula potius, omnium optumè expo-
 nit idem Isaacus Causabonus, quando subjungit: Sed ape-
 riamus fontem erroris, quem ne doctissimi quidem viri anim-
 adverterunt. Narrat Eusebius, in tertia historia, Papiam
 hunc Scriptorem fuisse inutilissimum, qui omnes traditionum
 fabellas mirificè amplecteretur, & scriptis mandaret. Multa
 igitur falsa absurdaqve de Christo & Apostolis scripsisse, & π-
 νὰ & μυστικὰ, & quaedam etiam fabulis propiora. Obser-
 vat inter caetera Eusebius, solitum Papiam nugas commini-
 sci τὰς ἀποστολικὰς παραδέξασθαι διηγήσεις, ex pravâ inter-
 pretatione, quam dabat Apostolicis scriptis. Omnino haec o-
 rigo est Commentii Papiae de Juda, quod Oecumenius & Baro-
 nius recitant. Lucae narrationem in Actis παραδέξασθαι, sive
 perperam interpretatus est. Ait Lucas πρηνὲς γενόμενος, cum
 cecidisset in faciem. Papias duas voces diversissimae significa-
 tionis confandit, πρηνὲς & πνεύματι inflatus.

3 §. 9. Tertia sententia tenet, Judam laqueo fregisse
gulam, & ex sese literam fecisse longam. Cui cum ob-
 stare videantur Acta, quippe quae asserunt, Judam πρηνὲς
 γενόμενος; nonnulli talem instituunt conciliationem, ut
 dicant, eum in aëre pendulum, ex arcanò DEI judiciò,
 crepuisse, & intestina fudisse. Sic Bernhardus: (q) Judas
 in aëre crepuit medius, aërearum collega potestatum, utpo-
 te quem veri Dei & hominis, qui de coelò venisset, opera-
 turus salutem in medio terrae, hujus, inquam, proditorem nec
 coelum reciperet, nec terra. Alii tamen, cum haec ἀπεσπασθή-
 νυσθα

(q) Serm.
 VIII. in
 Ps. XCI.

esse deprehendant, potius dicunt, Judæ quidem men-
tem fuisse, suspendiō finire vitam, indeque ipsum colio-
circumdedisse laqueum, sed arbore inclinatâ, aut laqueō (r) loc. su-
ruptō decidisse, & ilia effudisse. Ita se explicat Oecume- per. citat.
 nius (r); ita Isaacus Casaubonus, (s) Consilium, inquit, pro- pag. 10.
 ditoris fuerat, strangulatione sibi vitam eripere: aptat collo. (s) loc. cit.
 laqueum; impellit se, ut eō facilius fauces elidat. Placuit pag. 598.
 divinæ providentiæ, ut non simplici morte sceleratus prodi-
 tor periret: frangitur laqueus, cadit in faciem Judas: id
 enim est πρὸς γένου. Cadit autem vel in saxum for- (t) Con-
 tasse asperum, vel in ligni truncum acutum, aut aliâs, DEI cord. quat
 judiciō, venter illi finditur: intestina effunduntur. Hunc Evangel.
 ferè πὸς sequitur B. Calixtus (t) quando scribit: Mat- Script.
 theus facti initium, Petrus finem commemorat. Animus Lib. VI.
 fuerat Proditori, laqueō vitam finire, sed non simplici mor- cap. X. p.
 te pereundum erat; dum enim pendebat, aut pendulus se m. 390.
 impellebat, ut fauces elideret, fractō laqueō precipitatur in
 faciem, & casu in saxum aut lignum aliquod acutum for-
 tē delatus, ventrem rumpit, & effundit intestina. Hæc, ad-
 dit, est Scripturarum narratio simplex & vera.

§. 10. Sequuntur hanc sententiam plerique omnes, & (u) Citan-
te Clasenio
probant 1. ex verbis Matthæi, ἡ ἀπήγατο, quæ aliam in- Exercit.
terpretationem non recipere, quàm, suspendit se laqueō, sacr. ad
 ait Salmasius, (u) 2. testimoniis antiquitatis, & imprimis Pass. Domi-
 Ignatii, quem nonnulli ad annum Christi 116. referunt, ni Lib. II.
 (w) Hujus ex Epist. ad Philippenses seqq. cit. μεταμέλον cap. XII
 εὐβάλλει τῷ πρὸς δότη, ἡ βέχον αὐτῷ δεικνύσι, καὶ ἀγχοῖν p. m. 205.
 διδάσκει, n. e. Poenitentiam (Princeps Mundi) immisit Pro- (vv) teste
 ditori, & laqueum illi commorstravit, & suspendium, quō B. Gerhar-
 strangularetur, edocuit. Deinde provocant ad Irenæum, do, Pat. ol.
 qui apud Eusebium (x) ait, Montanum ac Maxillam eō- p. 50 in I-
dem periisse lethō, ac Judam. Jam autem constat, hos duos gnatiō
 B suspen. H. f. Ec-
 cles. c. XV.

suspensio vitam finivisse. Porro innituntur auctoritati Nazianzeni, (z) Prudentii (aa), Chrysostomi, (bb) & aliorum. 3. Adducunt arborem, ex qua sese suspenderit Proditor. De hac verba sunt Benedicti Aretii: (cc) Suspendium Juda arborem quoque reddidit infamem: nam in hodiernum usque diem arbor Juda apud rei herbaria peritos monstratur, ex qua Judas dicitur pependisse. Exprimunt quidam speciem (dd), dicentes, illam Sambucum fuisse, & hanc, cum prius grata fuisset, ob odoris suavitatem, nunc post Judae suspendium multum de gratia sua deperdidisse. Alii (ee) Sycomorum fuisse autumant: iterum alii ficum: ex quibus adduxisse sufficiat Poetam Christianum, Juvenum, de Juda iraculentem (ff):

*Exorsusque suas laqueo sibi sumere poenas,
Infamem rapuit fens de vertice mortem.*

(cc) Comm. in Matth. c. XXVII. pag. 218. (dd) teste Clasenio loc. supra cit. (ee) Adri- chomius in Theatro terra sancta, cit. B. Gerhard. in Harm. Ev. p. 1849 (ff) lib. VI. Hist. Ev. (gg) De lib. eis Sanctis cap. IV. (hh) In Matth. Enucleato p. m. 785.

Ad stipulatur Beda (gg) inquit: Portam David egredientibus fons occurrit in Austrum vel vallem directus, ad cuius medietatem ab occasu Judas se suspendisse narratur. Nam & fons magni ubi, & vetustissima stat. Hanc ficum Monachi, qui Sionitas se dici volunt, adhuc hodie peregrinantibus ostendunt, in valle Josaphat, ut testis est Pl. Rev. Dn. Bertramus, SS. Theolog. Doctor, & Ecclesiae Namburg. Pastor Primarius, Patronus & Promotor notissimus plurimum observandus (hh). Quinimò vana Papicolaram turba eò dementiae abit, ut gloriatur, se inter reliquias Sanctorum (en, L. B. Sanctum Judam!) possidere restim illam, quam Judas collo injecerit. Haec enim ipsorum verba sunt: restis illa Roma olim inter sacras reliquias pependit, quam deinceps illustris ille bellator, Fronsbergius, rei insolentia delictatus, detrahens, instar singularis spoliis, Augustam Vandalicorum deportavit. Refert haec iterum junctim laudatus Dn. D. Bertramus eodem in loco.

§. 11. Haec

§. 11. Haec sunt potissima communioris sententiae fundamenta, quae verò tantum non sunt, ut eruditiores interpretum in assensum pertrahere potuerint; quin potius magnò numero hinc in quavis alia abeunt. Et in initio quidem ipsis non placet modus conciliandi Matthaeum cum Lucà, sed potius persuasi sunt, Matthaeum suis verbis describere extremum mortis punctum, non verò initia ejusdem. Ita differtè illustris Grotius, (ii) qui videatur. Et sanè probabile haud est, si Judas fractò laqueo, aut arbore inclinatà, aliquid mali de novo passus esset, Evangelistam illud non annotaturum fuisse, quia hoc ipsum maximè fecisset ad exaggerationem poenae, quam is omninò intendit. Ad rationes pro suspendio allatas quid respondeatur, ordine videbimus.

(ii) Notis
ad Matth.
c. XXVII.
p. 474.

§. 12. Primam quod concernit, rectè negatur, ex verbo ἀπάγχεσθαι quicquam demonstrari posse, aut illud aliam interpretationem non recipere, quàm quae vulgò ipsi tribuitur, nimirum, suspendi laqueo, quod Salmasius contendit. Respondet enim hoc verbum Ebr. פתח pro quo etiam familiariter ab Hellenistis ponitur, & Graeco ἀποπνίγει, item ἑλίκεσθαι: uti verò haec suffocationem in genere denotant, & in medio relinquunt, laqueo an alià ratione facta sit; ita etiam τὸ ἀπάγχεσθαι, praeterea quod nihil. Consentientem in his habemus Ludovicum de Dieu (kk) & Gerhardum Joh. Vossium (ll). Quod etiam porò Salmasius ait (mm), nunquam hoc verbum à Graecis in alia significatione acceptum esse, in eò magnum Virum aliquid humani passum esse, certum est. Sacra, si volve vere placeat, scriptum legemus de Sara (nn): ταῦτα ἀκούσασα ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ἀπάγχεσθαι, i. e. haec (scilicet commata XXVII. vernula) audiens, adeò tristata est, ut pra angore quasi obstratò gutture ac obstructò de morte cogitaret, ut benè translatum

(kk) Comment in
quar Ev.
p. m. 131.
(ll) Farmon Ev.
Lib II cap
III §. 34.
pag. 216.
(mm) Citan-
te
Valeo ad
Matth c.
(nn) Tob.
cap. III
v. 10.

(oo) *Ex latum* legitur apud Heinsium (oo). Prophana si malimus,
ercit. Sacr ex plurimus esto illud Aeliani (pp): Σωκράτης μὲν κωμω-
cap. XXI. δέμυθ' ἐγέλα. Πολύαγρος δὲ ἀπάγξατο. Ubi sensus est: So-
pag. 76. crates in Commoediâ traductus ridebat; Polyagrus verò
(pp) *Lib.* perturbatione animi est strangulatus, exponente Vosio
V. Var. loco superius citato.
Hist. cap.

VIII. §. 13. Ad secundam, quae ab Auctoritate antiqui-

(qq) *Loco* tatis petita erat, & quidem ad verba sub Ignatii nomine
modo cit. adducta, respondemus cum Vosio (qq), *Majorem horum*
§. 29. pag. verborum futuram esse auctoritatem, si genuina forent.
213.

Quod enim non tantum ipsa haec verba, sed etiam tota
(rr) *Notis* epistola supposititia sit, rectissime arguit Grotius (rr) ex in-
ad Libb. de, quia dictio ἡ χαρακτὴρ τοῦ λόγου floridior sit, quam esse solet
Evang. p. Ignatii; Vosius autem (ss) hinc, quod dicta epistola una
474.

(ss) *Loco* sit illarum, quarum nec Eusebius (tt), nec Hieronymus (uu)
modo cit. meminerint. Quinimò non desunt magni Viri, qui omnes

(tt) *Lib.* Ignatii Epistolas supposititias esse contendunt, è quibus
III. Hi- nominamus Salmasium (ww) D. Blondellum (xx) Edmun-
stor. Eccl. dum Albertinum (yy) Joh. Dallacum, (zz) aliosque, quos
cap. XXX laudat Vir Amplissimus atque Excellentissimus, Dn. Jo-

(uu) *In* HAN. ANDREAS BOSIUS, Historiarum Prof. Publ.
Catalogo maximè famigerabilis, illustris Salanae hodiè Rector Ma-
(ww) *in* gnificus, Dn. Patronus, Praeceptor atque Promotor me-
Apparatu us submissi cultu animi aeviternum devenerandus. (α)
p. 56. seqq.

(xx) *in* Hinc Auctoritate istâ tanquam in idoneâ rejectâ, ad caete-
prefat. ras transimus, & de illis omnibus ac singulis dicimus, non
Apolog. debere eas, quicquam praedjudicare veritati; & neq; antiqui-
pro sent. tatem, neque multitudinem errantium errori ullum pa-
Hieron de rere patrocinium.

§. 14.

Episc. & presbyt. p. 40. seqq. in Epist. ad Ulfes. ap. Hammond. dis. 2 c. 9 (yy)
Lib. II de Euchar. pag. 283 (zz) Lib. IV. de jejun. & quadrag. cap. V. (α) Ex-
ercitationis Philof. ad cap. II. Epist. II. Thim. Cap. VI.

§. 14. Tertia denique Suspendiariorum ratio est certissimo suspendii signo desumpta: *Invenere enim curiosi* [his verbis ipse Casaubonus (β) hominum vanitatem rider] *arborem, ex qua pependit Proditor.* Verum, enim verò cum nondum ostensum sit, nec ostendi etiam possit, Proditorem laqueò interiisse, quomodo nobis persuadebunt de arbore? Taceo jam, quòd quae de sambuco afferunt, *fabula sit Ovidianis illis (γ) non ignobilior.* Sed ponatur veritas suspendii, quam in aeternum non obtinebunt: *unde probabitur, ficum fuisse infelix illud lignum, ex quo pependit ista Orci hostia?* Fortassis ex Juveneco? ita sanè colligit Ven. Beda (δ). At verò nemo tam obesae naris est, ut licentiam Poeticam, quà usus est Scriptor versuum, aut etiam Tropum Rhetoricum, Synecdochen scilicet, non olfaciat. Posuit utique Poëta, speciem pro genere, ficum pro arbore, aut quòlibet lignò: id quod eruditiores in suis carminibus frequenter, nec sine elegantia, facere amant. Sionitarum autem & Augustanorum Sacras Reliquias ipsis sanctè custodiendas relinquitur.

§. 15. Cum itaque neque in hâc sententiâ tutò acquiescere possimus, videndum erit, quid porrò alii sentiant. Sunt igitur *quartò, qui neque in praedio suo obiisse Judam, neque curru praetereunte obtritum esse, neque laqueò gulam fregisse; sed conscientiae terroribus agitarum societatem hominum fugisse, in agrum postea Hakeldama appellitatum, exivisse, ibidem morbo, quem Medicorum filii Anginam vocant, correptum extinctumq; & deinceps ibidem sepultum esse sentiant.* Ita statuit Dan. Heinsius (e) & Hugo Grotius (ζ) nec non Ludovicus de Dieu (η) aliiq;. Dicunt autem, Anginam esse *angorem animi vel corporis,* qui plerumque fauces sive summas gulae gutturisque partes

(β) Loc. cit. Exercit. LXX pag. 609. (γ) In libb. Metam.

(δ) Loc. supra cit.

(e) Loc. cit. (ζ) Loc. citat.

(η) Comm.



cum anxietate intolerabili pracludat. Hæc verba sunt Dan. Heinsii. Videri tamen possunt de hoc affectu Medici, & cum primis incomparabile illud Salanæ nostræ Decus, **GUERNERUS ROLFINCIUS** in Epit. Meth. cognosc. & curandi corporis affectus. (θ)

(θ) lib. I.
part. II.
cap VII.
p. 107.

§. 16. Non pigrabimur adicere, quæ de origine hujus morbi Rabbini habent. Tradunt scil. אסכרה בא על המעשר;

(ι) LXIII.
v. 12.

h.e. angina venit in mundum propter decimas. Nimirum, qui comedit fructus non decimatos, is moritur manu Dei. Alii asserunt על לשון הרע propter linguam maledicam, juxta illud Psalmi (ι): כִּי יִסְכַּר פִּי יִסְכַּר שִׁקְרוֹ obturabitur os loquentium vanitatem. Volunt autem, hunc morbum primitus familiarem fuisse infantibus, die quarto nativitatis ipsorum: Unde etiam solennis apud Ebræos mos est, ut eò die parentes infantulorum jejunium instituant, ne sc. angina tenellos corripiat. Diem verò quartum infaustum esse, colligunt ex historia creationis. Nam cum in operibus quartæ diei מארתו semper defectivè scribatur, illi autumant fieri, ad indicandum, quòd sit מארה יום, sive dies maledictionis, quâ videlicet anginâ conficiantur tenelli infantes. Non solum autem hos, verum etiam adultos hoc malum occupasse, ipsi asseverant, & maximè quidem in sternutatione. Unde consuetudo enata sit, ut sternutanti benedicatur, dicendo: תרפא לך תרפא, vel *salus tibi sit*, vel תרפא לך, eòdem signi-

(κ) Bera-
chos fol.
401.
(κ) in Rad.
סכר pag
1479 &
seq.

ficatu. Remedium denique adducunt (κ), nimirum: הרגול בערשום אחת לשלשום סניע אסכרה מתוך בורו; *h.e. qui assuescit esui lentium seniel in mense, cohibet arginam è domo sua.* Sed hæc obiter. Qui plura cupit, adeat Buxtorfium in Lexicò Rabbinicò-Thalmudicò. (λ)

§. 17. Probatum autem hæc sententia 1. quia ἰσχυρὰ ἀπὸ ἀρχαίων in LXX. Virali versione usurpatur de Achitophete

phele, Consiliario Regio, quem anginâ periisse, auctores
sunt Magistri Ebræorum, sive Rabbin, dicentes ἀπρόσκα-
εγυ esse, si quis dicere velit, tantorum animorum virum,
adeò succubuisse desperationi, ut laqueum arripuerit, te-
ste Johan. Buxtorfio. (μ) 2. Quia sic Concordia Evange- (μ)
listarum magis in aprico sit: Angina scilicet fauces Pro- in Lexico
ditori præcluse, spiritus autem sive flatus inclusi exitum jam cit. p.
invenire, nequiverunt; unde tandem in unum quasi fasci- 1480.
culum collecti, ingenti vi corpus pertraxerunt, quo per-
rupto viscera effluxere. 3. quia Judæ cognomen, Ἰουδαϊ-
σμός, ipsi ideò impositum sit, quòd Judas puer hoc morbo
infestatus fuerit. Hanc rationem afferi Ludovicus de
Dieu (ν), & exinde conjicit, Judam adultum non alio
morbo, quam anginâ extinctum esse. (ν)

§. 18. Hæ rationes quidem speciosæ sunt, & primâ
fronte nescio quid promittunt; at tamen si penitiùs paulò
excutiantur, nodum neutiquam deprehenduntur solve-
re: quin potius magni Viri explicationem, quæ illis super-
struitur, *coactam & tortam* vocare non verentur (ο). Et (ο)
quò minus nos calculum nostrum eidem adjicere pos-
simus, facit, quòd illa ipsa interpretatio scopum Evan-
gelistarum neutiquam attingere videtur. Volunt enim Ev-
angelistæ describere inusitatum aliquod, horrendum, ad-
eòque memorabile mortis genus, quòd perpeffus sit
Proditor, quodque his nominibus pro palatum sit, & in
stuporem ac admirationem abripuerit omnes Hierosoly-
mis degentes. An verò tale quidpiam sit angina, quâ
Judæi quotidie fermè videbant aliquot, si non adultos,
tamen infantes extingui, hoc quidem nos pervidere,
nondum possumus.

§. 19. Ad rationes respondemus, & ad primam quidem,
neutiquam evictum esse, quòd Achitophel angina interie-
rit. Quod attinet ratiunculam Rabbinicam, quod nimirum
non

Comment.
in Matth.
pag. 132.

reste Dan.
Clasenio E.
xerc. Sacr.
ad pass Do:
mini l. 2. c.
12. p. 208.

non probabile sit, Achitophalem, tam praesentis animi virum, suspendium elegisse: illam nos equidem parvi facimus. Quis enim est, qui ignoret, ubi Deus manum retrahit, & desperatio invalescit, tam profundum fieri lapsum, quam sublime prudentiae fuit fastigium, quò quis antè collocatus fuit? Sed positò, Achitophalem anginà periisse; quae quae so consequentia: Verbum ἀνάγκη, quod utrumque, suffocationem scil. ex angina & laqueo denotat, illo in loco significat, *perit anginà*. E. etiam in praesenti loco? Nulla sanè. Nec obstat, quòd vulgò dicunt, Achitophalem fuisse typum Judae. Resp. enim: Ad hoc, ut Achitophel typus Judae dici possit, sufficit, primò, quòd cum ipso conveniat in hoc, quòd benefactorem suum spe turpis lucri prodiderit: Secundò, quòd peccati deformitatem agnoscens desperationi succubuerit. Non autem requiritur, ut per omnes numeros ipsi aequalis fuerit.

§. 20. Alteram Heinsii rationem quod concernit, equidem non negamus, eam paulò propius ad historiam accedere, & Evangelistas conciliare aptius, atque proximè praecedens illa; sed cum & ipsa morbidū ac ruinosum praesupponat fundamentum, morbi scil. violentiam; & praeterea alia longè commodior via, quā sacri Scriptores in gratiam reduci possint, detur, uti nox videbimus; ideò non immeritò & illam relinquimus.

§. 21. Ad tertiam ergò rationem Resp. Ludovicum de Dieu sumere id pro concessio, quod in quaestione adhuc est. Dicit enim, hoc mortis genus in proditore argui etiam ab ipso cognomine, quod illi à Parentibus suis impositum fuerit. Verum tam dubium est, quam quod maximè, an hoc nomen Proditori ante, an verò post interitum impositum fuerit. Ast sit, quicquid asseruerit Dieu, nihil planè obtinebit. Si enim dicat, ante ultima fa-
ra

ita sic appellatum fuisse Judam, dici potest, illum non tam ex morbo, quam ex patriâ tale nomen traxisse. Ita graviter censet B. Glasius, magnus ille Poli Philologici Phoebus, quando ait: (π) *Proditor Christi, Judas, vocatur* Ισκαριώτης *Matth. X. v. 4. qua appellatio ex patria ipsi, ut cognomen, permansit. Hebrais enim est* קריית שן *vir Kerijot b, h. e. Kerijotensis vel Oriundus ex* קריית , *oppido aut vico in tribu Juda, de quo Jos. XV. v. 25. Beza testatur, Joh. XII. v. 4. pro* Ισκαριώτης *in verustissimo suo codice legi* ἀπὸ τῆς κρυιῶτης , *quod hanc explicationem confirmat. Plura vide apud* *Plur. Rev. & Excell. Dn. D. Gerhardum nostrum in Notis ad Nov. Test. (ρ).* Si verò concedas, hoc ipsum nomen Scelesto post fata impositum esse, quod omninò probabilius videtur; tunc Judas appellabitur *Iscariotes*, quasi dicamus ille Judas, qui periit מאסכרא à strangulatione: nec ulla urget ratio, quare potius reddendum sit, qui periit anginâ, cum הכרה strangulatio ab eâ, quæ laqueô sit, & quæ fit anginâ, præscindat. Quandoquidem igitur jam constat, quid de fundamentis sententiæ Heiniani sentiendum sit, non potest obscurum esse, quid de sententiâ ipsâ judicari debeat.

§. 22. Quinta denique sententia est, Judam ἐκ τῆς ἀγαν ὀλιγωρίας καὶ ῥαθυμίας, h. e. præ nimia animi pusillanimitate & socordiâ, ut loquitur Oecumenius, (σ) vitæ pertæsum, sese de loco sublimi præcipitem dedisse, atque isthâc ruinâ contritum viscera effudisse. Sed qui hoc statuunt, iterum in duas abeunt partes: altera quidem statuit, Judam intendisse suspendium, & pro hoc perficiendo, jam tum collo laqueum aptasse; sed vel arbore inclinatâ supervixisse, vel amicis supervenientibus liberatum esse; tandem verò novis actum furis præcipitium elegisse.

C

In

(π)
Gramm.
Sacr lib.
III Tract
I. Can. 34.
num. 2.

(ρ) Ad
Matth.
Cap. X. p.
m. 541.

(σ)
In Cap. I.
Actor pag
101

(τ) In hunc enim sensum allegantur (τ) seqq. Theophylacti
à Clafonio verba: Judas quidem collo circumdedit laqueum, & cum
d. l. penderet ab arbore, arbore inclinata supervixit, Deo ipsum
servante vel in poenitentiam & emendationem. Postea no-
vis actus Furiis se dedit præcipitem. In eadem sententiâ di-
(v) citur fuisse Euthymius. (v) Altera Autorum hujus sen-
teste Corn. tentiæ classis respuit, quicquid de laqueo dicitur, & vult,
Fanfenio Judam tantum vitæ radio captum abiisse in locum subli-
cap. 140. mem, & exinde se præcipitem dedisse. Ita Jo. Pricæus (Φ)
pag. 244. quem in hanc rem laudat, ac summi viri elogio ornat Vos-
(Φ) sius. Qui & addit se impensè illam sententiam probare,
Harm. quæ dicit, Judam præ summo mœrore non quidem mor-
Ev. lib. II. tuum esse, sed eò desperationis adactum, ut se præcipi-
cap. III. §. tum daret, & sic dirumperetur medius.
53. p. 217

§. 23. Verùm etiam ab his nos divortium facimus.
Priori enim sententiæ, quæ Oecumenii & Theophylacti
est ex iis, quæ §. 11. in medium sunt allata, satisfit: quip-
pe cum Evangelistæ singuli interitûs non initia vel antece-
dencia, sed ipsum momentum ac ingredientia delineant,
dici nullò modò potest, Judam primò laqueum collo
circumjecisse, deinceps verò aut Dei singulari gratiâ, aut
familiarium opportunò interventu servatum esse. Po-
steriori verò, quam cum Pricæo Vossius alit, obstant, quæ
§. 18. disputata fuerunt. Vel enim ipsa supponit morbum
§. 15. explicatum, vel Evangelistam Matthæum non ulti-
ma Judæ, sed tantum mœrores, angores, ac conscientiæ
tormina per suum ἀνάγκη inuisse. Utrumque in-
congruum esse, ex dictis patet: prius quidem ex §. 18.
ubi morbi istius figmentum sufficienter, uti speramus,
discussum est; posterius verò ex §. 11. ubi cum ratione,
tùm auctoritate sat gravi ostensum, etiam Matthæum,
ultima

ultima Fata, non verò ea, quæ extremum mortis præces-
serunt, recensere. Positò ergò hoc, non integrum est ad-
struere, Evangelistam tantum angores indicare. Quin-
imò unde licentiam nactus est Vossius, ut tam audacter
montem vel alium sublimiorem locum exstruat, quem
Judas conscenderit, exindeque præcipitem sese dederit?
Profectò ex verbis Historiæ hæc non potest elicere. Ta-
ceo, quod utique uterque Evangelistarum videatur cau-
sam Fati hujus *non Jude ipsi, sed inopinato alicui casui, quem
divina providentia direxerit*, attribuere, velut sentit Hu-
go Grotius (†). Quæ cum ita sint, neque hîc, in quò ac-
quiescere possit, mens veritatis avida habet.

† Loco
super cit.

§. 24. Sed quid tandem? inquires. Respondebimus,
& citrà ullius præjudicium, nullò novandi studiò, quod à
nobis alienissimum semper fuit, mentem explicabimus.
Ut tamen eò melius procedere valeamus, paucissima
erunt præmonenda. I. Scilicet, *quod non negemus, ex verbis
Matthæi ἐδὲν ὁπισθονοικῶς deduci posse*. Insinuavimus hoc
ipsum superius, §. nim. 12. exinde, quia generale Evange-
lista verbum habet, quod à strangulatione, laqueo aut a-
liò modò factâ, planè præscindit. II. Præmittimus, *quæstio-
nem hanc fidem neutiquàm concernere, sed de ipsâ liberum esse
disputare ac sentire, quicquid volueris, modò τὸ πρῆτον obser-
ves, atque afferas ea, quæ à ratione non sint aliena, & circum-
stantiis Historia consentiant*. Ex quibus sanè dispalescit,
nos nullam sententiam damnare, neque nostra ut pro-
dicto habeatur, poscere, sed saltim probabiliorem ra-
tionem sequi. III. Supponimus & hoc, *quotiescunque
discordantes de aliqua Historia inter Auctores sententia dan-
tur, toties arripiendam ac reliquis præferendam esse non, quæ
antiquiores, quæque celebriores habet propugnatores; hoc e-
nim esset mancipium Auctoritatis fieri, & veritatem non*

ex objecto, sed subiecto petere, quod homine Philosopho indignum; Sed *quæ cum pluribus Historia circumstantiis & scopo etiam totius narrationis magis amice conspirat, atque adeò in quâ non tam multa, ut subsistere possit, fingere necesse habemus.*

AB. §. 25. Præsuppositis itaque his, quæ à nemine, qui quidem sincerè rem judicare velit, in dubium vocatum iri censemus, dicimus jam, *maximè probabile esse, quod Diabolus Judam, cum post projectos in templum prodictionis suæ nummos recederet, ad suas forsan reversurus, raperit in sublime, strangulârit atque precipitem dederit, ita, ut ad terram altissus, ruptus sit medius, vel omninò Diabolus cum ruperit, effuderit omnia intestina illius, atque sic horrendò exitu egressus fuerit.*

§. 26. Hæc nostra sententia ex Historia Evangelistarum, si non majori, saltim nec minori cum probabilitate deduci potest. Dicit Matthæus ἀπὸ τῆς αἰτίας, quæ vox, ut toties dictum, significat *strangulatione interemptus est*: at cum strangulationis modi admodum varii sint, præsentem in narratione intelligendus utique erit is, qui toti narrationi, qui scopo ejusdem, qui commoditati majori respondet. Jam quæ sententia cum omnibus ac singulis his requisitis exactiùs congruat ipsâ nostrâ, nos, ut præfisci dicamus, non videmus. Ipsam Historiam seu narrationem quod concernit, cum antecedentibus ejus ita congruit: Narrant Evangelistæ, & imprimis Johannes (ω) quod Diabolus post assumptum bolum ex templo Judam ingressus fuerit: at quid, quantumque possit Princeps tenebrarum in illis, quos à Deo destitutos invasit, vel Historiæ ἐνεργημάτων satis superque eloquuntur. Conspirant hæc eadem cum ingredientibus. Dicit enim Matthæus ἀπὸ τῆς αἰτίας, scil. à Diabolo, qui in ipso habitabat, Petrus:

πρὸς τὸν

(ω)
C. p. XIII.
v. 7.

ἡ γυνὴ γενόμενῳ, præcep̄ factus, scil. post strangulatio-
nem peractam. Atque sic venter ipsi fissus, intestina so-
luta, & effusa fuerunt. Cum consequentibus autem: ἡ
γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς ἱερουσαλήμ κατοικοῦσι, & notorium
factum est illis omnibus, qui Hierosolymis degebant; o-
mnium optumè nostra mens consentit. Etenim suspen-
dium, vel præcipitium sui, nec non morbus plura habuit
exempla, & in stuporem adeò non dedisset Hierosolymi-
tanos, atq; dedit hæc suffocatio & præcipitatio, horrenda
suprà modum, rara suprà exemplum. Neque etiam à
scopo Historiæ abludit, quæ data est, expositio. Indignari
enim videntur Evangelistæ omnes singuli scelestissimo
Scelestissimi Nebulonis factò, & horrendum ejus Fatum
explicando singularem Dei providentiam & justitiam
commendare velle. Ast quid huic scopo convenienti-
us erat, quàm facinori suprà modum horrendo, suppli-
cium suprà modum horrendum subjunctum fuisse, edo-
cere. Denique etiam egregia hîc se exferit commoditas.
In reliquis sententiis omnibus ac singulis, quor quæso, &
citrà quidem Evangelistarum suffragium, supponenda &
singenda sunt? Supponendum est, Judam arripuisse la-
queum, collo injecisse, arbori alligasse, arborem fractam
aut inclinatham esse, amicos supervenisse, Judam præci-
pitem allisum esse trunco acuto, lapidivé, morbo in ju-
ventute afflictum esse, exivisse in agrum, conscendisse
in montem &c. de quibus altum planè in narratione si-
lentium. Ast in nostra sententia nihil, quod non vel cla-
ralitera dicat, vel manifesta exinde fluens consequentia.
Hinc ergò licet concludere, si probabilitate certare lice-
at, vix ullam sententiam huic nostræ palmam
prærepturam esse,

COROLL. PHILOS.

I.

Omnia Entia sunt essentialiter bona.

II.

Præter actum primum & secundum non datur tertius.

III.

Actio non est in agente, sed in patiente.

IV.

Actio & passio ratione tantum differunt.

V.

Angeli non sunt in loco, nec possunt miracula perficere.

VI.

Anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in quavis ejus parte.

VII.

Facultates anima nec ab anima, nec à se invicem realiter differunt.

VIII.

Anima à corpore separata aliquid cognoscit.

IX.

Gigantes & Pygmaei non possunt dici monstra.

X.

Rex in suo regno plenam & absolutam habet potestatem.

Grandi-

GRandiloquô Judæ suspendia dira cothurno
In medium, CHRISTO sic moderante, jacies
Ne suspendatur tua gloria, fama salusque,
Altitonans faxit, qui regit astra, DEUS!

gratul. f.

FRIEDMANNUS Bechmann/M.

Logicæ & Philosoph. Primæ Prof. Publ.



Mors Judæ infamis, sit bona fama Tibi!

Ita venâ properante

GOTTFRIDUS ZAPFFIUS, Thur. Pr. P. Extraord.



PRODITOR ipse sui Judas, vah turpe! Magistri,
Æternum poenas is quoque jure meret.

Ast Tu, WARNECCI, doctrinæ PRODITOR almæ,

Æternas laudes ipse merere tuis.

Honoris ac Amoris causâ

f.

M. IOHAN. FRIEDERICVS

GERHARDUS, Colleg.

Philos. Adjunct.



Freund / sein erhitzter Fleiß hat allberit erworben /

Daß Rom Ihn Bürger nennt / Athen

Ihn wohl versteht /

und Palästina sich mit Lust an Ihm ergötzet :

Wird dieses schöne Thun von Ihm so fortgesetzt /

So wird dereinst sein Ruhm dort wo Bootes geht /

In vollem Glanze stehn. Fleiß bleibet unsterben.

M. Georg Göze / Kais. Gekr. Poet. /

Philosoph. Adj.

Per

Per-Eximio atque Præstantissimo
DN. RESPONDENTI

Amico suo per dilecto :

ΥΙΟΝ Απόλλωνος, τὸν ἐγγείνατον δια Κορωνίς
Δοτῆα ἐν πεδίῳ, ἄδω, μέγα χάσμα τεκόντων
Πολλὰ γὰρ αὐτὸς ἔπραξε τὰ σπυδαίεστα Μουσῶν,
Τερπόμενός τε χαρῆι τοῖς δώροις ἠδέσι Φοίβῃ.

*In gratulationem & benevolentie testificationem
scribebat*

M. MARCUS TIMÆUS.

PRODITORIS de variò dum abundè
Differis fatò, simul ipse PRODIS

Ingeni dotes, documenta tradis

Non leviora.

Hinc velut Judæ mala sunt secuta

Digna factis; sic pariter tuis sunt

(Id quod ardentè voveo) futura

Præmia digna.

his fIDELI sVO & perCiosissimo

*Amico disputationem faustam
dicit*

IEREMIAS MEIERVS,
Eisenbergensis.

FINIS.

153 0414

ULB Halle

3

003 484 998




5b

AB 153044


VD 17





Viel...
M...





54.

⊖. Δ.

ΙΟΥΔΑΙΣ ΑΠΑΓΕΑΜΕΝΟΙΣ,
SIVE
DE

SVSPENDIO
IVDAE DIATRIBE
ACADEMICA,

Quam,
Suffragantibus Superioribus,

Sub
PRAESIDIO
M. GEORGII GOEZII,
Poët. Laur. Caes. Fac. Phil. Adj.

Publica Φιλολογῶντων ventilationi
subjecit
IOHANNES VVARNECCIUS,
Velthemiâ - Hornburgensis Saxo,
AUCTOR.

Ad diem 22. April. A. O. R. M. DC. LXI.

EDITIO SECUNDA.

JENAE,
Typis Johannis Jacobi Bauhöferi,
ANNO clō lōc LXII,